



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

112. An excommunicatus possit esse testis, & eius testimonium sit
validum? Quæritur etiam, quodnam peccatum committat, si
excommunicatus sit testis in iudicium, vel extra? Et an supradicti ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

tra eos lata irritatur. Imò possunt validè ligari censuris ab homine; quia ex vna parte possunt peccare adhuc mortaliter, & ex altera nullo jure censura contra eos lata irritatur, imò nec prohibetur contra eos ferri, ac proinde, ut indicat Egidius, id potest licet fieri à Superiore. Quòd verò non percipiant ordinem judicium, non obstat, ut ligentur censuris generaliter latis, quia tunc non est necessarium ad incursionem, quod interveniat cum illis à judicio, imò nec obstat ut ligentur censuris specialiter latis contra illos, quia instrui possunt de ordine judicij, sicut etiam possunt ligari alij puberes ordinem judicij ignorantes, quia etiam possunt instrui, imò & quamvis non possent, cum possint medio procuratore se defendere. Quòd si impuberes ratione videntes possunt censuris ligari, etiam de facto ligantur, quando in eis est causa sufficiens. Ita Hurtado, qui citat Suarez & Coninch.

2. Sed contraria sententia non caret probabilitate, & ideo illam tenet Cœlest. in comp. Theol. moral. tr. 3. c. 6. n. 9. ubi sic ait: Dico quòd vi monitorij non tenentur impuberes revelare, quia illi excusantur à censuris ante pubertatis annos, idque est intelligendum tam de censuris à jure latis, quam ab homine. Sic ille, & Emanuel Sà correctus ver. censuras. 2. docet, censuras neminem incurrere ante annum decimum. Vide Vgolinum, de censurab. l. c. 17. §. 3. n. 5. & Vasq. in 3. p. tom. 4. q. 90. art. 2. dub. 4. cum Sayro, de cens. lib. 1. c. 8. n. 4.

RESOL. CXI.

An excommunicatus possit esse Tabellio, & an ejus acta sint valida?

Et an prædictus Tabellio peccet mortaliter exercens munus suum Tabellionis, quantumcumque ab aliis requiratur, si sit excommunicatus non toleratus, vel si se ingerat?

Toleratus verò non peccet, si requiratur ab aliis. Ex par. 5. tr. 9. Ref. 112.

§. 1. R Espondeo negativè, ex c. 1. de except. in 6. & ejus acta esse invalida, ex Henriquez, Avila & Coninch, tradit novissimè Hurtado, disp. 8. de excom. diff. 5. n. 8. quia, ut dicitur in c. nullus, 3. q. 4. à nemine credenda sunt, quæ ab anathematizatis dicuntur, vel scribuntur, ergo eorum instrumenta non sunt valida, quia valor eorum in hoc consistit, quod eis sit credendum, quod est verum etiam de instrumentis factis à tolerato, quia non est obligatio ei credendi, si cur nec communicandi cum illo. Instrumentum ergo ab excommunicato adhuc tolerato factum rejici potest in judicio, ut potè nullum. Addunt tamen Egidius & alij, quòd si non rejiciatur, erit validum, sumpto argumento à factis actoris excommunicati, quæ dum non repelluntur, valida sunt; sed hoc additur absque sufficienti fundamento, quia pro nullitate instrumenti Tabellionis est expressus canon pro valore, quando non repellitur, & est expressus pro valore factorum ab actore, quando non repelluntur. Hæc Hurtado. Et ante illum Faber, de cens. in 4. sem. disp. 25. q. 1. disp. 4. c. 6. n. 201. ubi sic ait. Non potest excommunicatus exercere tabellionatum. Patet, quia hæc est communicatio maxima & gravis cum aliis fidelibus, ut patet, ideo peccat mortaliter, an verò instrumenta ejus sint nulla, dicendum est si loquamur de actibus & instrumentis factis ab ipso publicè & auctoritate publica esse nulla ipso facto, est enim communis sententia Canonistarum, quòd acta à publicè excommunicato ratione publici muneris sunt ipso jure nulla. Aliqui tamen dicunt, si excommunicatus Ta-

Tom. V.

bellio à partibus scientibus esse excommunicatum ex consensu communi inducatur ad faciendam aliquam scripturam publicam, licet peccaret, tamen illam scripturam valere, & obligare partes ad illam observandam, quia jam in illam convenerunt in foro conscientie. Quam opinionem probat Suarez, disp. put. 16. sect. 5. num. 5. Ego tamen oppositum sentio, quia jam Ecclesia prohibet illi publicum munus faciendi instrumenta, ablata autem hac potestate, scripturæ illæ non habent valorem à publicè auctoritate; ergo nullæ sunt. Ita Faber.

2. Sed his non obstantibus ego puto quòd excommunicatus non toleratus peccat exercens munus Tabellionis quantumcumque ab aliis requiratur: toleratus verò non peccat, si requiratur ab aliis. Vtrum verò acta illius sint valida quando non toleratur, potest dubitari. Varij negant, præsertim Canonistæ, quorum sententia ut sit vera pro foro exteriori, omnino tamen verius est dare firmitatem contractui in foro interno, quando admittitur ex consensu partium cognoscentium ejus excommunicationem. Ita sentit Suarez, disp. 16. sect. 5. n. 4. quia textus, qui in contrarium adferuntur, non ostendunt acta non sufficere ad faciendum fidem, si Tabellio excommunicatus admittatur, sed solum quòd non debeat admitti, ut Can. nullus anathematizatorum 3. q. 4. ubi Stephanus Papa dicit. Nullus anathematizatorum si scripturam, nec à quoquam credatur, quæ ab eis dicuntur, vel conscribuntur. Quibus verbis non sufficienter declarantur irrita ad faciendam fidem acta Tabellionis excommunicati, sed solum quòd admitti non debeat. Et hæc omnia docet etiam Præpositus in 3. part. q. 2. de excomm. dub. 1. 3. n. 89. & Turrian. lib. 2. disp. 14. dub. 4. licet asserat in foro exteriori servandam esse consuetudinem, juxta quam recepta est communis Canonistarum opinio, & addit duo. Vnum est, grave videri peccatum Tabellionis, si instrumentum publicum faciat contra prohibitionem, res enim videtur magni momenti. Alterum est post Concilium Constantiense, antequam iste Tabellio sit denunciatus, posse alios uti officio illius, & valida esse instrumenta in utilitatem eorum, quia prohibitio respectu eorum ablata est. Vnde Filliucius, tom. 1. tra. 1. c. 7. n. 86. asserit quòd peccabit graviter Tabellio exercendo munus Tabellionis in excommunicatione, & quidem si vitandus sit, non est dubium tum propter communionem illi denegatam, tum propter dubium faciendi actus irritos, & expositos nullitati, & litibus. Si non est vitandus, peccabit si se ingerat, si tamen requisitus aliquid sui muneris faciat, non peccabit. Possunt enim alij cum ipso agere, & consequenter etiam ipse in tali casu cum aliis.

RESOL. CXII.

An excommunicatus possit esse testis, & ejus testimonium sit validum?

Queritur etiam, quodnam peccatum committat, si excommunicatus sit testis in judicio, vel extra illud?

Et an supradicti excommunicati possint esse testes in causa matrimonij, ut etiam in causa heresis? Ex par. 5. tract. 9. Ref. 113.

§. 1. R Espondeo negativè, ex c. veniens 3. de testibus & ejus testimonium esse nullum, ex Vasquez, tradit Hurtado, disp. 8. de excom. diff. 6. num. 10. ubi sic ait. Addendum est testimonium excommunicati esse nullum cum ei credendum non sit, ut dicitur in Can. nullus 3. q. 4. quod contra Egidium & alios verum existimamus, etiam si non repellatur (ut potest non repelli quando

Sup. hoc sup. rel. 24. cum prop. finem §. 1.

quando testis est toleratus) sicut diximus de instrumento Tabellionis, qui est testis qualificatus; & id etiam existimamus verum, quoniam testis sit toleratus, quia ei, quamvis tolerato, non est obligatio credendi, valor autem testimonij consistit in eo quod ei debeat credi. Vide etiam Cornejo in 3. part. tr. 5. de excomm. disp. 10. §. 9. q. 6. & Philippum Fabrum, de cens. in 4. sent. dist. 2. §. 9. 1. dist. 4. c. 6. n. 202. vbi ita esset: Est dubium an validum sit testimonium excommunicati in scripturis extrajudicialibus, & privatis, ut in testamentis, contractibus, &c. & aliqui tenent esse validum, & Suarez, in 4. dist. 16. n. 7. quia, inquit, licet jure prohibeatur, ut non licite fiat, non tamen cavetur ut valide non fiat in scripturis privatis. Verum ego hoc non intelligo, nam omnis scriptura facta per Tabellionem auctoritate tabellionatus mihi videtur publica, quia auctoritas Tabellionis est publica. Vnde testis testificans in tali scriptura, mihi videtur testificare publice, quia licet actu non sit deducta ad iudicium, tamen potest deduci, & est apta nata deduci. Itaque mihi videtur includi in illis actibus de quibus dicitur cap. licet de sent. excomm. in 6. in quo dicitur excommunicatum tam in judicialibus, quam extrajudicialibus, a legitimis actibus esse removendum. Ita Faber.

2. Verum ego puto quod excommunicatus non potest esse testis, ut patet c. decernimus, de sent. excomm. in 6. vbi decernitur ut iudices seculares per censuras Ecclesiasticas compellantur tales repellere. Si tamen admittatur ejus testimonium est validum, quia non apparet vllum jus irritans ejus testimonium, quando admittitur. Vide Henricum, lib. 13. c. 7. n. 5. in fine, quod non solum verum est in iudiciis, sed etiam in testimonio lato extra iudicia quoad contractus, & testamenta, &c. Videri potest Sayrus, tom. 1. Theauri casuum lib. 2. c. 8. n. 1. & 4. Toleratus si requisitus testetur, non solum valide, sed etiam licite id facit, & hac omnia docet præter Suarez Præpositus, in 3. part. q. 2. de excomm. dub. 13. n. 90. vide etiam circa præsentem questionem Turrianum, lib. 2. dist. 14. dub. 4. & Filliuc, tom. 2. tr. 12. c. 7. n. 178. vbi n. 188. quærit quodnam peccatum committat, si excommunicatus sit testis in iudicio vel extra: Et respondet peccare tantum venialiter, etiam si vitandus sit, quia tantum est communicatio humana.

3. Nota tamen quod stando in prima sententia, excipiendi sunt testes excommunicati in causa matrimonij, ut notat Sanchez, de matr. l. 3. dist. 41. n. 5. & ex Avila docet etiam Cornejo vbi sup. nam in casu matrimonij testes excommunicati non repelluntur, ut etiam in causa hæresis, ex c. in fidei, de hæret. in 6.

RESOL. CXIII.

An excommunicatus possit esse Advocatus, aut Procurator? Et an matrimonium contractum per Procuratorem excommunicatum sit validum? Ex part. 5. tr. 9. Ref. 114.

Sup. hoc sup. in Ref. 24. §. 1. prop. finem, & in tom. 6. tr. 9. Ref. 2. §. 5. Et Advocatus.

§. 1. Respondeo quod conveniunt DD. excommunicatum non posse licite advocare, nisi quando est toleratus, & inducitur a fidelibus, & quando non est toleratus, non posse licite admitti ad id, ut supponitur in c. decernimus 8. de sent. excomm. in 6. Quod si a iudice de facto admittatur, & ei non obiciatur excommunicatio, patrocinia ab ipso facta valida sunt, quia nullibi irritantur, & tunc poterit pro illis stipendium accipere, non verò pro factis, postquam ei obiecta est excommunicatio, & repelluntur, quia tunc sunt irrita ad decisionem causæ, & ita docet Hurtado, dist. 8. de excomm. dist. 7. cui adde Villalobos, in summa, tom. 1. tr. 13. dist. 14. n. 8. vbi sic ait. [Tambien no puede el descomulgado ser abogado, que esto es comunicacion, y especialmente le está prohibido

en derecho, y assi le puede el juez repeler, y lo debe hazer si fuesse denunciado, o notorio perculsor de Clerigo. Mas si de hecho abogasse, lo que hiziere valdrá, que no está irritado por derecho, y solo en esso pecará venialmente.] Ita ille.

2. Sed an excommunicatus possit esse Procurator? Respondeo negativè ex generali prohibitione communicandi cum aliis, & in speciali facta in iuribus supra relatis, ex quibus solum permittitur excommunicato, ut se defendat in iudicio, quod verum est tam in Procuratore ex parte actoris, quam ex parte reus, licet reus excommunicatus possit defendere se in iudicio, ut dictum est, hoc tamen concessum est ei propter necessariam defensionem. Procurator verò voluntarius est, ejus tamen acta valida sunt, quando a iudice non repellitur, si institutus fuit Procurator ante excommunicationem; si verò quando institutus fuit, excommunicatus erat, res est difficilior, sed probabilior pars affirmativa, & hac omnia docet Cornejo in 3. part. tr. 5. de excomm. dist. 10. §. 9. q. 3. & 4. Philip. Faber de cens. in 4. sent. dist. 2. §. 9. 1. dist. 4. c. 6. n. 203. cum Turrianum lib. 2. dist. 14. dub. 5. & Præpositus in 3. p. q. 2. de excomm. dub. 13. num. 91. vbi docet etiam matrimonium contractum per Procuratorem excommunicatum esse validum.

RESOL. CXIV.

An excommunicatus possit esse Tutor, vel Curator? Et an validi sint contractus ab eo facti? Ex part. 5. tr. 9. Ref. 115.

§. 1. Respondetur negativè ex generali prohibitione communicandi cum aliis, & quia excommunicatus non potest officium publicum habere, vnde tutor excommunicatus peccavit administrando res pro illis, tam in iudicio, quam extra; vtrum autem validi sint contractus ab eo facti, Canonice negant quos sequitur Sylv. ver. excomm. 1. n. 2. & 3. Sed probabilis est pars affirmativa, cuius ratio est, quia nullum datur jus eos irritans, quam sententiam ex Suarez, tenet Cornejo in 3. part. tr. 5. de excomm. dist. 10. §. 9. q. 3. & Turrianus, lib. 2. dist. 14. dub. 5. Vide etiam Villalobos, in summa, tom. 1. tr. 17. dist. 14. n. 10 vbi sic ait. [El poder que se da al Procurador vale, como dicen Decio, y otros, aunque esté descomulgado, como dezimos en la eleccion del escrivano, que como lo que haze, no es irritado, tanpoco es irrita la eleccion por donde se va para allá, que basta que se pueda irritar, y no prueban mas vnos textos, que se alegan por la parte contraria, como advierte Suarez. Lo mismo se ha de dezir del tutor, y lo mas oficios semejanτες, que pecaran venialmente los que los reciben, o exercitan estando descomulgados, porque son ciertas comunicaciones, mas valdrá lo que hizieren.] Hæc Villalobos.

RESOL. CXV.

An excommunicatus possit esse actor in iudicio? Et an sit peccatum mortale ex obiecto, si excommunicatus ius suum in iudicio petat? Ex part. 5. tractat. 9. Refol. 110.

§. 1. Respondeo negativè, ut constat ex cap. decernimus, de sent. excomm. & ex cap. 1. de iur. iur. except. in 6.

2. Notandum est tamen hic Turrianum, lib. 2. dist. 14. dub. 5. par. 14.